

PROSPERI AQUITANICI CHRONICON.
HUCUSQUE HIERONYMUS PRESBYTER
ORDINEM PRAECEDENTIUM DIGESSIT
ANNORUM: NOS QUAE SECUTA SUNT
ADJICERE CURAVIMUS.

*Romanorum. Igitur Valente a Gothis in Thracia
concremato, Romanorum XLI, GRATIANUS,
cum fratre Valentiniano, regnavit annis 6.*

(Annis Domin. 382) 1 AUSONIO ET OLYBRIO COSS.

Gratianus post mortem patruī, Theodosium Theodosii filium
in consortium assumit imperii, et ei regnum tradidit Orientis.

*Theodosius summa felicitate multis atque ingentibus praeliis
Gothos superat, et e Thracia pellit.*

*Longobardi ab extremis Germaniae finibus, Oceanique
protinus littore, Scandiaeque insula magna multitudine
ingressi, et novarum sedium avidi, Iborea et Aione ducibus,
Vandalos primum vicerunt.*

Sempronius vir apprime eruditus agnoscitur.

Ea tempestate Priscillianus episcopus de Gallaecia ex
Manichaeorum et Gnosticorum dogmate haeresim nominis
sui condidit.

(Annis Domin. 383) 2 GRATIANO V ET THEODOSIO
COSS.

Ambrosius pro catholica fide multa sublimiter scripsit.

Theodosius cum Thessalonicae aegrotaret, ab Ascholio ejusdem civitatis episcopo baptismum suscepit.

Procurante Gratiano, eo quod Theodosius aegrotaret, pax firmatur cum Gothis.

Synodus patrum 150 apud Constantinopolim celebrata est contra Macedonium, Spiritum sanctum Deum esse negantem.

(*Annis Domin. 384*) 3 EVAGRIO ET EUCHERIO COSS.

Martianus episcopus Turonorum Gallicae civitatis, multum clarus (f. charus) habetur.

Gregorius Nazianzenus, vir sua aetate eloquentissimus, et Hieronymi praeceptor, obiit .

Romanorum.

(*Annis Domin. 385*) 4 ANTONIO ET SYAGRIO COSS.

Atharicus rex Gothorum, apud Constantinopolim 15 quo fuerat susceptus, die occiditur.

(*Annis Domin. 386*) (*Anni ab Abraham. 2400*) 5 MEROBAUDE II ET SATURNINO COSS.

Arcadius Theodosii imperatoris filius Augustus appellatur.

Petronius Bononiensis episcopus, vir studiis et sanctitate clarus moritur.

(Annis Domin. 387) 6 RICIMERE ET CLEARCO COSS.

Honorius Theodosii filius nascitur.

Romanae Ecclesiae post Damasum SYRICIUS XXXVI praefuit an. 18.

In Britannia per seditionem militum Maximus imperator est factus, quo mox ad Gallias transfretante, Gratianus Parisiis Merobaudis magistri militum proditione superatus et fugiens, Lugduni captus atque occisus est.

Maximus Victorem filium suum consortem regni facit.

*Romanorum XLII, VALENTINIANUS cum
Theodosio regnavit anni 8.*

(Annis Domin. 388) 1 ARCADIO ET BAUTONE COSS.

Hoc tempore Hieronymus presbyter, toto jam mundo clarus habitat in Bethleem, egregio ingenio et studio universali Ecclesiae serviens.

Priscillianus in synodo Burdegalensi se damnandum intelligens, ad imperatorem Maximum provocavit, auditusque Treviris ab Evodio praefecto praetorio, a Maximo gladio addictus est cum Eucrocia Delphidii rhetoris conjuge, et Latroniano, aliisque erroris consortibus.

Burdegalae quaedam Priscilliani discipula nomine Urbica, ob impietatis pertinaciam per seditionem vulgi lapidibus exstincta est.

(*Annis Domin.* 389) 2 HONORIO N. P. ET EVODIO COSS.

(*Annis Domin.* 390) 3 VALENTINIANO III ET EUTROPIO COSS.

(*Annis Domin.* 391) 4 THEODOSIO II ET CYNEGIO COSS.

Romanorum.

Maximus tyrannus a Valentiniano et Theodosio imperatoribus in tertio ab Aquileia lapide spoliatus indumentis regiis, sistitur, et capite damnatur: cujus filius Victor eodem anno ab Arbogaste interfectus est in Galliis.

(*Annis Domin.* 392) 5 TIMASIO ET PROMOTO COSS.

Ithacius et Ursacius episcopi ob necem Priscilliani, cujus accusatores fuerant, Ecclesiae communione privantur.

Longobardi, eorum ducibus defunctis, primum sibi regem creaverunt Algelmundum Ajonis filium, qui regnavit annis 33.

(*Annis Domin.* 393) 6 VALENTINIANO IV ET NEOTERIO COSS.

Signum in coelo, quasi columna pendens ardensque, per dies 30 apparuit.

Theodosius venerabile Joannis Baptistae caput ex vico Coslai Constantinopolim deportans, septimo ab urbe lapide in basilica, quam magno sumptu in ejus honorem erexerat, recondit.

(Annis Domin. 394) 7 TITIANO ET SYMMACHO COSS.

Eugenius favore Arbogastis confisus, imperium sibimet usurpavit.

(Annis Domin. 395) 8 ARCADIO II ET RUFINO COSS.

Valentinianus ad vitae fastidium nimia Arbogastis magistri militum austeritate ductus, laqueo apud Viennam periit.

Arbogastes magister exercitus, mortuo Valentiniano, cujus exitu gravabatur, Eugenium in Galliis imperare facit.

*Romanorum XLIII THEODOSIUS, cum jam per
14 regnaret annos, regnat cum Arcadio et
Honorio filiis, annis 3.*

*(Annis Domin. 396) (Anni ab Abraham. 2410) 1
THEODOSIO III ET HABUNDANTIO COSS.*

Honorium pater suus Theodosius in eodem loco, quo fratrem ejus Arcadium Caesarem fecerat principem, constituit, 17 ab urbe milliario, cum hora tertia tenebrae factae sunt.

(*Annis Domin. 397*) 2 ARCADIO III ET HONORIO II COSS.

Joannes monachus anachoreta clarus habetur, qui ornatus prophetiae gratia Theodosium consulentem de eventu belli, quod adversus Eugenium movebat, victorem futurum praedixit.

(*Annis Domin. 398*) 3 OLYBRIO ET CENSORINO COSS.

Theodosius Eugenium vincit, et perimit.

Augustinus beati Ambrosii discipulus, multa facundia doctrinaque excellens, Hippone Regio in Africa episcopus ordinatur.

Hoc tempore Claudianus poeta innotuit.

Theodosius imperator Mediolani moritur.

*Romanorum XLIV, ARCADIUS cum jam
regnasset annis 12, regnat cum fratre Honorio
annis 13.*

(*Annis Domin. 399*) 1 ARCADIO IV ET HONORIO III
COSS.

Terraemotus per dies plurimos fuit, coelumque ardere visum est.

*Orosius Hispanus presbyter, vir eloquens et historiarum
cognitor, claret.*

(*Annis Domin.* 400) 2 CAESARIO ET ATTICO COSS.

Flaccilla nata est Arcadio filia.

Evagrius incredibilis abstinentiae monachus, et in sacris litteris eruditus, apud Aegyptios habetur insignis.

(*Annis Domin.* 401) 3 HONORIO IV ET EUTYCHIANO COSS.

ANASTASIUS XXXVII Romanae Ecclesiae episcopatum tenet annos 3, dies 21.

(*Annis Domin.* 402) 4 MANLIO THEODORO VC. COSS.

Cum hoc consulatum inierat Eutropius Eunuchus, qui mox honore et vita exutus est.

(*Annis Domin.* 403) 5 STILICONE ET AURELIANO COSS.

Gothi Italiam, Alarico et Rhadagaiso ducibus, ingressi .

Romanorum.

(*Annis Domin.* 404) 6 VINCENTIO ET FRAVITTA COSS.

Joannes Constantinopolitanus, et Theophilus Alexandrinus illustres episcopi habentur: sed utrumque obscuravit discordia, quae eo usque processit, ut Joannes a Theophilo oppressus Pontum exsilio pergere cogeretur, cum tamen

communione ejus, maxima pars eorum episcoporum, Romani pontificis exemplum secuta, servaverit.

(*Annis Domin.* 405) 7 ARCADIO V ET HONORIO V COSS.

Pollentiae adversus Gothos vehementer utriusque partis clade pugnatum est.

INNOCENTIUS XXXVIII Romanae Ecclesiae praeest episcopus annis 15, mensibus 2, diebus 21.

(*Annis Domin.* 406) (*Anni ab Abraham.* 2420) 8
THEODOSIO AUGUSTO ET RUMORIDO
[*Al.* RIMORIDIO, *male*] COSS.

Eudoxiae Arcadii uxoris statua super porphyricam columnam posita est.

(*Annis Domin.* 407) 9 HONORIO VI ET ARISTETO COSS.

Eudoxia uxor Arcadii diem clausit.

(*Annis Domin.* 408) 10 STILICONE II ET ANTHEMIO
COSS.

Rhadagaisus in Thuscia multis Gothorum millibus caesis, ducente exercitum Stilicone, superatus et captus est .

(*Annis Domin.* 409) 11 ARCADIO VI ET PROBO COSS.

Vandali et Alani Gallias, trajecto Rheno, pridie kal. Januarias ingressi.

(*Annis Domin.* 410) 12 HONORIO VII ET THEODOSIO II
COSS.

Constantinus (ex infima militia ob solam speciem nominis)
in Britannia tyrannus exoritur, et ad Gallias transit.

(*Annis Domin.* 411) 13 BASSO ET PHILIPPO COSS.

Arcadius imperator Constantinopoli moritur.

*Romanorum XLV HONORIUS cum
Theodosio fratris filio regnavit annis 16.*

(*Annis Domin.* 412) 1 HONORIO VIII ET THEODOSIO III
COSS.

Vandali Hispanias occupaverunt.

Romanorum.

Attalus Romae imperator factus, qui mox privatus regno,
Gothis cohaesit.

(*Annis Domin.* 413) 2 FLAVIO VARRONE VC. COS.

Roma orbis quondam victrix, a Gothis Alarico duce capta: et
ob hoc solus fuit orientalium partium consul, quod et [*Al.* in]
sequenti anno observatum est.

(*Annis Domin.* 414) 3 THEODOSII AUGUSTI IV
CONSULATU.

Constantinus per Honorii duces Constantium et Ulfulam, apud Arelatense oppidum victus et captus est, cujus filium Constantem in Hispania regnare orsum, Gerontius comes in Maximum quemdam tyrannidem transferens, interemerat.

(*Annis Domin.* 415) 4 HONORIO IX ET THEODOSIO V
COSS.

Maximo in Hispania regno ablato, vita est concessa, eo quod modestia humilitasque hominis, affectati imperii invidiam non merebatur.

Gothi rege Ataulpho Gallias ingressi. Eodem tempore heros vir sanctus, et beati Martini discipulus cum Arelatensi oppido episcopus praesideret, a populo ipsius civitatis insons, et nullis insimulationibus noxius [*Al. obnoxius*], pulsus est: inque ejus locum Patroclus ordinatur, amicus et familiaris Constantii magistri militum, cujus per ipsum gratia quaerebatur: eaque res inter episcopos regionis illius magnarum discordiarum causa fuit.

(*Annis Domin.* 416) (*Anni ab Abraham.* 2430) 5
LUCIANO VIRO CLARISSIM. CONSULE.

Hujus collega in consulatu fuit Heraclianus, qui novarum in Africa rerum reus, et honorem amisit et vitam.

Burgundiones partem Galliae propinquantem Rheno obtinuerunt.

Jovinus et Sebastianus fratres, in Gallia regno arrepto, interempti.

Hac tempestate Pelagius Brito dogma nominis sui contra gratiam Christi, Coelestio et Juliano adjutoribus, exeruit, multosque in suum trahit errorem, praedicans, unumquemque ad justitiam voluntate propria regi, tantumque accipere gratiae, quantum meruit: quia Adae peccatum ipsum solum laeserit, nec posteros ejus obstrinxerit. Unde et volentibus possibile sit omni carere peccato, omnesque parvulos tam insontes nasci, quam primus homo ante praevaricationem fuit: nec ideo baptizandos, ut peccato exuantur, sed ut sacramento adoptionis honorentur.

(*Annis Domin.* 417) 6 CONSTANTIO V. C. CONSULE.

Attalus Gothorum consilio et praesidio tyrannidem resumit in Gallia.

(*Annis Domin.* 418) 7 HONORIO X ET THEODOSIO VI COSS.

Attalus a Gothis ad Hispaniam migrantibus neglectus, et praesidio carens capitur, et Constantio Patricio vivus offertur.

Ataulphus a quodam suorum vulneratus interiit: regnumque ejus, Vuallia, peremptis qui idem cupere intelligebantur, invasit.

(*Annis Domin.* 419) 8 THEODOSIO VII ET PALLADIO COSS.

Placidiam Theodosii imperatoris filiam, quam Romae Gothi ceperant, quamquam Athaulphus conjugem habuerat, Vuallia

pacem Honorii expetens reddidit, ejusque nuptias Constantius promeretur.

ZOSIMUS XXXIX Romanae Ecclesiae episcopatum suscipit anno uno, mensibus 9, die bus 9. Quo tempore Pelagius jam a pontifice Innocentio praedamnatus, Afrorum vigore, et maxime Augustini episcopi scientia resistebatur

Romanorum.

(*Annis Domin.* 420) 9 HONORIO XI ET CONSTANTIO II COSS.

Honorius triumphans Romam ingreditur, praeunte currum ejus Attalo, quem Liparae vivere exsulem jussit.

(*Annis Domin.* 421) 10 HONORIO XII ET THEODOSIO VIII COSS.

Hoc tempore Constantius servus Christi ex vicario Romae habitans, et pro gratia Dei Pelagianis devotissime resistens factione eorumdem multa pertulit, quae illum sanctis confessoribus sociaverunt.

Concilio apud Carthaginem habito 217 episcoporum, ad papam Zosimum synodalia decreta perlata, quibus probatis, per totum mundum haeresis Pelagiana damnata est.

Valentinianus Constantii et Placidiae filius, nascitur VI nonas Julias.

Romanorum.

BONIFACIUS XL Romae episcopatum tenet annis 3, mensibus 8, diebus 6 .

(*Annis Domin.* 422) 11 MAXIMO ET PLINTA COSS.

Constantius pacem firmat cum Vuallia, data ei ad habitandum Aquitania secunda, et quibusdam civitatibus confinium provinciarum.

(*Annis Domin.* 423) 12 THEODOSIO, IX CONSTANTIO III COSS.

Constantius ab Honorio in consortium [*Al.* consortem] regni assumitur.

Hieronymus presbyter moritur anno aetatis suae 91 pridie calendas Octobris .

(*Annis Domin.* 424) 13 AGRICOLA ET EUSTATHIO COSS.

Constantinus imperator moritur .

(*Annis Domin.* 425) 14 HONORIO XIII ET THEODOSIO X COSS.

Hoc tempore exercitus ad Hispanias contra Vandalos missus est, cui Castinus dux fuit, qui Bonifacium virum bellicis artibus praeclarum inepto et injurioso imperio, ab expeditionis

suae societate avertit. Nam ille periculosum sibi atque indignum ratus eum sequi, quem discordem superbientemque expertus esset, celeriter se ad portum urbis, atque inde ad Africam proripuit, idque reipublicae multorum laborum initium fuit.

(*Annis Domin. 426*) (*Anni ab Abraham. 2440*) 15
MARINIANO ET ASCLEPIODOTO COSS.

Placida Augusta a fratre Honorio pulsa, ad Orientem cum Honorio et Valentiniano filiis proficiscitur.

(*Annis Domin. 427*) 16 COELESTINUS XLI Romanae Ecclesiae praesidet episcopus annis 9, mensibus 10, diebus 17.

Longobardorum II regnavit Lamissus meretricis filius annis 3.

Honorius moritur, et regnum ejus Joannes occupat, connivente ut putabatur [*Al. putatur*] Castino, qui exercitui magister militum praefuit.

Romanorum XLVI, THEODOSIUS regnavit annis 30.

(*Annis Domin. 428*) 1 CASTINO ET VICTORE COSS.

Theodosius Valentinianum, amitae suae filium, Caesarem facit, et cum Augusta matre sua ad recipiendum occidentale mittit imperium: quo tempore Joannes dum Africam, quam

Bonifacius obtinebat, bello reposcit, ad defensionem sui infirmior factus est.

(*Annis Domin.* 429) 2 THEODOSIO XI ET VALENTINIANO COSS.

Placidia Augusta et Valentinianus Caesar mira felicitate Joannem tyrannum opprimunt, et regnum victores recipiunt, data venia Actio, quod Hunni, quos per ipsum Joannes acciverat, ejusdem studio ad propria reversi sunt. *Castinus autem in exsilium actus est, quia videbatur, Joannem sine conniventia ipsius regnum non potuisse assumere.*

Valentinianus decreto Theodosii Augustus appellatur.

Arelas nobile oppidum Galliarum a Gothis multa vi oppugnatum est, donec, imminente Aetio, non impuniti abcederent [*Al.* discederent].

(*Annis Domin.* 430) 3 THEODOSIO XII ET VALENTINIANO II COSS.

Patroclus Arelatensis episcopus, a tribuno quodam barbaro multis vulneribus laniatus, occiditur, quod facinus ad occultam jussionem Felicis magistri militum referebatur, cujus impulsu creditus est [*Al.* traditur] etiam Titus diaconus vir sanctus Romae pecunias pauperibus distribuens, interfectus.

Romanorum.

(*Annis Domin.* 431) 4 HIERIO ET ARDABURE COSS.

Bonifacio, cujus potentia gloriaque in Africa augebatur, bellum ad arbitrium Felicis, qui ad Italiam venire abnuerat, publico nomine illatum est, ducibus Mavortio et Galbione et Sinoce, cujus proditione Mavortius et Galbio, cum Bonifacium obsiderent, interempti sunt: moxque ipse a Bonifacio dolo detectus occisus est. Exinde gentibus, quae uti navibus nesciebant, dum a concertantibus in auxilium vocantur, mare pervium factum est, bellicae contra Bonifacium coepta in Sigisvultum comitem cura translata est.

Gens Vandalorum ab Hispaniis ad Africam transiit.

(*Annis Domin.* 432) 5 FELICE ET TAURO COSS.

Nestorius Constantinopolitanus episcopus novum Ecclesiis molitur errorem inducere, praedicans Christum ex Maria hominem tantum, et non Deum natum, eique divinitatem collatam esse pro merito.

Huic impietati praecipua Cyrilli Alexandrini episcopi industria, et Papae Coelestini repugnat auctoritas.

Pars Galliarum propinqua Rheno, quam Franci possidendam occupaverunt, Aetii comitis armis recepta.

(*Annis Domin.* 433) 6 FLORENTIO ET DIONYSIO COSS.

Felice ad patritiam dignitatem provecto, Aetius magister militum factus est .

Agricola Pelagianus, Severiani episcopi Pelagiani filius, Ecclesias Britanniae dogmatis sui insinuatione corrumpit, sed ad actionem Palladii diaconi papa Coelestinus Germanum Antisiodorensem episcopum vice sua mittit, ut deturbatis haereticis Britannos ad catholicam fidem dirigat.

(*Annis. Domin. 434*) 7 THEODOSIO XIII ET VALENTINIANO III COSS.

Aetius Felicem cum uxore sua Padusia, et Grunnitum diaconum eos insidiari cum praesensisset, interemit.

Augustinus episcopus per omnia excellentissimus moritur V kalendas Septembris, libris Juliani, inter impetum obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine, respondens, et gloriose in defensione Christianae gratiae perseverans.

(*Annis Domin. 435*) 8 BASSO ET ANTIOCHO COSS.

Congregata apud Ephesum plus ducentorum synodo sacerdotum, Nestorius cum haeresi nominis sui, et cum multis Pelagianis, qui cognatum sibi dogma juvabant, damnatur.

Ad Scotos in Christum credentes ordinatur a papa Coelestino Palladius, et primus episcopus mittitur.

(*Annis Domin. 436*) (*Anni ab Abraham. 2450*) 9 AETIO ET VALERIO COSS.

Romanae Ecclesiae XLII praeficitur episcopus SIXTUS annis 8, diebus 19, totius orbis pace et consensione mirabili.

Bonifacius ab Africa ad Italiam per urbem venit, accepta Magistri militum dignitate, qui cum sibi resistentem Aetium praelio superasset, paucos post dies morbo exstinctus est. Aetius vero cum deposita potestate in agro suo degeret, ibique eum quidam inimicus ejus repentino incursu opprimere tentasset, profugus ad urbem, atque illinc ad Dalmatiam, deinde Pannoniam ad Hunnos pervenit: quorum amicitia, auxilioque usus pacem principum, et jus interpollatae potestatis obtinuit.

Romanorum.

(*Annis Domin.* 437) 10 THEODOSIO XIV ET MAXIMO
COSS.

Maxima

*urbis regiae pars septentrionalis per tres dies
continuos [Al. continuo] incensa collapsaque est mense
Augusto.*

*Joannes monachus cognomento Cassianus Massiliae, insignis
et facundus scriptor habetur.*

(*Annis Domin.* 438) 11 ASPARE ET ARIOBINDA COSS.

(*Annis Domin.* 439) 12 THEODOSIO XV ET
VALENTINIANO IV COSS.

Pax facta cum Vandalis, data eis ad habitandum per Trigetium Africae portione, III idus Februarii, Hippone.

Eodem tempore Gundicarium Burgundionum regem intra Gellias habitantem Aetius bello obtrivit, pacemque ei supplicanti dedit, qua non diu potitus est. Siquidem illum Hunni cum populo suo atque stirpe deleverunt.

(*Annis Domin.* 440) 13 ISIDORO ET SENATORE COSS.

Gothi pacis placita perturbant, et pleraque municipia sedibus vicina suis occupant, Narbonensi oppido maxime infesti: quod cum diu obsidione et fame laboraret, per Littorium comitem ab utroque periculo liberatum est. Siquidem per singulos equites binis tritici modiis advectis, strenuissime et hostes in fugam vertit, et civitatem annona implevit.

(*Annis Domin.* 441) 14 AETIO II ET SIGISVULTO COSS.

Bellum adversus Gothos, Hunnis auxiliantibus, geritur.

Geisericus rex Vandalorum intra habitationis suae limites volens catholicam fidem Ariana impietate subvertere, quosdam nostrorum episcoporum eatenus persecutus est, ut eos privatos jure basilicarum suarum, etiam civitatibus pelleret, cum ipsorum constantia nullis superbissimi regis terroribus cederet.

Valentinianus Augustus ad Theodosium principem Constantinopolim proficiscitur, filiamque ejus in matrimonium accipit. Eodem anno piraticam Barbarorum foederatorum desertores exercuerunt.

Per idem tempus quatuor Hispani viri, Arcadius, Probus, Paschasius, et Eutychius, dudum apud Geisericum merito sapientiae et fidelis obsequii clari habebantur: quos rex, ut copulatiores sibi faceret, in Arianam sectam transire praecepit. At illi hoc facinus constantissime respuentes, excitato in rabidissimam iram Barbaro, primum proscripti, deinde in exsilium acti, tum atrocissimis cruciati suppliciis, ad postremum diversis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt .

Romanorum.

Puer autem Paulillus nomine, frater Paschasii, et Eutychii, pro elegancia formae atque ingenii admodum regi acceptus, a professione atque amore catholicae fidei cum nullis minis deturbari posset, diu fustibus caesus, et ad infamem servitutem damnatus est: nec ideo, ut apparet, interfectus, ne superata saevitia impii regis etiam illa aetas gloriaretur.

(*Annis Domin.* 442) 15 THEODOSIO XVI, FAUSTO COSS.

Hoc quoque anno iidem piratae multas insulas, sed praecipue Siciliam vastavere .

Adversum Gothos in Gallia quaedam prospere gesta.

(*Annis Domin.* 443) 16 THEODOSIO XVII ET FESTO COSS.

Littorius, qui secunda ab Aetio Patritio potestate, Hunnis ut auxiliantibus praeerat, dum Aetii gloriam superare appetit, dumque aruspicum responsis et daemonum significationibus fudit, pugnam cum Gothis imprudenter conseruit, fecitque intelligi quantum illa, quae cum eodem periit, manus prodesse potuerit, si potioribus consiliis, quam sua temeritate uti maluisset; quando tantam ipse hostibus cladem intulit, ut nisi inconsideranter praelians in captivitatem incidisset, dubitandum foret, cui potius parti victoria ascriberetur.

Hac tempestate Julianus Eclanensis, jactantissimus Pelagiani erroris assertor, quem dudum amissi episcopatus intemperans cupido exagitabat, multimoda arte fallendi correctionis spem praeferens, molitus est in communione Ecclesiae irrepere.

Sed his insidiis Sixtus papa diaconi Leonis hortatu vigilanter occurrens, nullum aditum pestiferis conatibus patere permisit, et ita omnes catholicos de rejectione fallacis bestiae gaudere fecit, quasi tunc primum superbissimam haeresim apostolicus gladius detruncasset.

Per idem tempus Vitricus reipublicae nostrae fidelis, multis documentis bellicis clarus habetur.

Pax cum Gothis facta, cum eam post ancipitis pugnae lacrymabile experimentum, humilior quam umquam ante poposcissent.

Aetio rebus, quae in Galliis componebantur, intento, Geisericus, de cujus amicitia nihil metuebatur, XIV kal. Novembris Carthaginem dolo pacis invadit, omnesque opes ejus, excruciat diversis tormentorum genere civibus, in jus suum vertit. Nec ab ecclesiarum despoliatione

[*Al. despolitatione*] abstinens, quas et sacris vasibus exinanitas, et sacerdotum administratione privatas, non jam divini cultus loca, sed suorum jussit esse habitacula. In universum captivi populi ordinem saevus, sed praecipue nobilitati et religioni infensus, ut non discerneretur, hominibus magis, an Deo bellum intulisset.

Carthago a Vandalis capta, anno postquam Romana esse coeperat, 585 [*Alias* 583.]

(*Annis Domin.* 444) 17 VALENTINIANO V AUGUSTO ET ANATHOLIO COSS.

Defuncto Sixto episcopo, 40 amplius diebus Romana Ecclesia sine antistite fuit, mirabili pace atque patientia adventum diaconi Leonis exspectans, quem tunc inter Aetium et Albinum amicitiae redintegrandae gratia Galliae detinebant, quasi ideo longius esset abductus, ut electi meritum et eligentium iudicium probaretur. Igitur LEO diaconus legatione publica accitus, et gaudenti patriae praesentatus, 43 Romanae Ecclesiae episcopus ordinatur.

Geisericus Siciliam graviter affligens, accepto nuntio de Sebastiano ab Hispania ad Africam transeunte, celeriter Carthaginem rediit, ratus periculosum sibi ac suis fore, si vir bellandi peritus recipiendae Carthagini incubuisset. Verum ille amicum se magis quam hostem videri volens, diversa omnia apud Barbaros, quam praesumpserat, reperit: eaque spes causa illi maximae calamitatis et infelicissimae mortis fuit.

Romanorum.

(Annis Domin. 445) 18 CYRO V. C CONSULE.

Theodosius imperator bellum contra Vandalos movet, Ariobinda et Anaxilla atque Germano ducibus cum magna classe directis, qui longis cunctationibus negotium differentes, Siciliae magis oneri, quam Africae praesidio fuerunt.

(Annis Domin. 446) *(Anni ab Abraham 2460)* 19 Dioscoro ET EUDOXIO COSS.

Hunnis Thraciam et Illyricum saeva depopulatione vastantibus, exercitus, qui in Sicilia morabatur, ad defensionem Orientalium partium revertitur. Cum Geiserico autem ab Augusto Valentiniano pax confirmata, et certis spatiis Africa inter utrumque divisa est.

In Geisericum apud suos de successu rerum superbientem quidam optimates ipsius conspiraverunt; sed molitione detecta, multis ab eo suppliciis excruciatum atque extinctum sunt. Cumque idem audendum etiam aliis videretur, multis regis suspicio exitio fuit, ut hac sui cura plus virium perderet, quam si bello superaretur.

(Annis Domin. 447) 20 MAXIMO II ET PATERNO COSS.

Hoc tempore plurimos Manichaeos intra urbem latere diligentiae papae Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, et oculis totius Ecclesiae publicatos, omnes dogmatis sui turpitudinem et damnare fecit et prodere, incensis eorum

codicibus, quorum magnae moles fuerant interceptae. Quae cura viro sancto divinitus, ut apparuit, inspirata, non solum Romanae urbi. sed etiam universo orbi plurimum profuit. Siquidem confessionibus in urbe captorum, qui doctores eorum, qui episcopi, quive presbyteri, in quibus provinciis vel civitatibus degerent, patefactum est. Multique Orientalium partium sacerdotes industriam apostolici rectoris imitati sunt.

(*Annis Domin.* 448) 21 THEODOSIO XVIII ET ALBINO COSS.

Attila rex Hunnorum Bledam fratrem et consortem suum perimit, ejusque populos sibi parere compellit.

(*Annis Domin.* 449) (*Anni ab Abraham.* 2463) 22 VALENTINIANO VI ET NONIO COSS.

PROSPERI AQUITANICI CHRONICON
FINIT.